





M

DISSERTATIO EPISTOLICA  
*DE*  
**NOTITIA RERVM  
DIVINARVM ET SACRA-  
RVM IN IRREGENITO**

*AD*  
VIRVM  
SVMME REVERENDVM,  
**IOANNEM FECHTIVM**  
DOCTOREM THEOLOGVM SENIOREM DE-  
QUE ECCLESIA CHRISTI LONGE  
MERITISSIMVM,  
EDITA

A  
**MICHAELE FÖRTSCHIO**  
THEOLOG. D. ET PROF. P.  
IENENS.  
EDITIO SECUNDA.



---

I E N AE,  
LITTERIS GOLLNERIANIS,  
A. MDCCXLII.

Dissertatio Historica  
MAGISTRI RAYMUNDI  
DIVINARUM STASCIONIS  
RUMINI INGENITIO  
VITRUM  
IOANNINUM RHETHYM  
DOCTORVM THEOLOGIVM DISSERTATIONE  
GARCIOPATRI CATHOLICO  
MERITVM  
EST  
MICHAELIE FORTUNO  
THEODORICVS ET FRANCIS  
PRAECEPTE  
ARMAS



I.E.NAE  
LITTERIS COLLINENSIA  
A.DCCXXII



VIR SVMME REVERENDE!

**P**Etis, aut si mauis, iure veluti  
tuo postulas, in postrema ad  
me epistola, cui dissertationes  
tres sub Præsidio tuo habitae  
*de Notitia rerum diuinarum &*  
*sacrarum in homine non ren-*  
*ato,* gratissima mihi munera  
adiuncta erant; ut meam de isthoc argumento  
exponam sententiam. Gratias primum ago habe-  
oque pro donis exquisitis, quae spero, futuro ve-  
re me quodammodo compensaturum esse. Quod  
postulatum tuum attinet, non video, quomodo  
vel ingratitudinis vel inhumanitatis notam decli-  
nare queam, si graui desiderio olim Praecepto-  
ris, tum Collegae, nunc Theologi Senioris de-  
que Ecclesia meritissimi deesse velim.

I.

Quæstio est, vt modo notaui, de notitia irre-  
genitorum circa res sacras & diuinas, adque salu-

A 2

tem

tem nostram pertinentes: *Vera ne sit illa, an falsa? num spiritualis & ab illuminatione DEI? an vero naturalis imo carnalis?* Denique: *An illa sententia, quae impiis veram illuminationem tribuit, sit perniciosa sive summe noxia, apostatica, haeretica, Pelagiana & Sociniana?* Huc enim nunc potissimum summa redit disputationis, quae pridem coepta & hucusque quidem continuata est inter Nostrates, sed eo proh dolor! effectu, ut in publicum quasi nunc exardescat incendium, id est perditissimarum haeresium & apostasias exprobrationem solennem. Auertat Benignissimum Numen Pacis Auctor deploranda schismata ab Ecclesia sua, & recolligat in sinceram fidei unitatem mutuamque charitatem Fratres in Domino nostro IESU CHRISTO, cui operamur.

## II.

Evidenter videri queat, parum vel nihil omnino superesse, in memorata modo controversia, quod illustramento egeat, postquam imprimis ab utraque dissentientium parte res eo deducta est, ut facile intelligi queat, quo tendant, quibus fundamentis instructi sint, quam vim quaevis sententia, quidve in recessu habeat. Sed nec scopus meus est, soli lucem assundere, vel arbitri munus inter partes suscipere, verum id uisce curabo, Vir

Summe

55

Summe Reuerende, vt percipias, quomodo in of-  
ficio meo docendi circa istud argumentum, vbi  
occasio postulat, versari soleam, & quibus prin-  
cipiis innitar, qui de caetero a disfidiis abhorreo,  
non tamen dormio, sed pro viribus a DEO con-  
cessis labore, fructumque inter preces Ipsi com-  
mitto: contentus sorte mea, donec ad meliorem  
id est aeternam me euocauerit. Id in quaestio-  
ne extra dubium positum est, sermonem esse de  
adultis, iisque qui vera iustifica ac saluifica fide in  
CHRISTVM, vitaque adeo spirituali, vnde vitales  
in spiritualibus operationes & motus procedunt,  
carent. Hi enim sunt irregeniti seu non renati, com-  
muni consensu. Diuersum tamen quorundam  
statum hic noto, quidam enim sunt sub gratia  
DEI in via ad Regenerationem & vitam spiritua-  
lem, quando DEVS per verbum ipsos praepa-  
rat, & in illis operatur, v. g. per doctrinam legis  
& Euangeli conuenientes rebus spiritualibus con-  
ceptus & motus in iis supernaturaliter producit,  
licet nondum fides iustifica & vita spiritualis ad-  
sit, vt regenitus sit aut dici queat. Alii vero Spi-  
ritui S. resistunt aut errore fundamentali vel pec-  
catis contra conscientiam, fidem saluificam excus-  
serunt, carnemque dominari sinunt, adeoque re-  
generationis gratia ex sua parte exciderunt, vt  
magna pars Christianorum, baptizatorum.

De his igitur omnibus, *primo* communi Eccliae confensu assero: eos *Notitia DEI* rerumque diuinarum & ad salutem pertinentium, *fiduciali*, *viua*, *vita fidei indeque operosa* & *ad applicata* destitutos esse. Fluit id ex natura & descriptione irregenitorum: nam si fide saluifica id est special illa, quae meriti Christi adprehensionem includit, carent, quomodo fiducialis scilicet in Christum esse potest eorum notitia, quomodo viua in subiecto vita spirituali & anima fidei priuato? quomodo operosa, cum radix bonorum operum fides absit? quomodo applicata notitia, quae demum adprehensione & adpropriatione meriti Christi, fide & pietate absoluitur. Haec acceptio stylo Iohanneo domestica est imprimis. Sic enim ille, Epist. I. cap. IV, 8. *qui non diligit, non nouit Deum*, οὐπὶ ἀγαπῶν, εἰκὸν τὸν Θεὸν, δὲ οὐ Θεὸς ἀγαπῶν εἴσω. quia *DEVS charitas est*, & 1, 2, 4, qui dicit: *non item* & *praecepta eius non seruat, mendax est*. Ex effectus notitiae fiducialis absentia iudicat de notitiae defectu: *fides enim haec per charitatem operosa est*, vnde, vbi dilectio deficit, & ex aduerso odium DEI & proximi cor occupauit, *ibi fides est mortua*, vt Iacobus loquitur, adeoque non potest fiducialis & viua notitia esse. Nec mirum, quod

Apo-

Apostolus loquatur de hac notitia viua, simpliciter, & sine addito, siue voce, expresse restringente terminum communem cognitionis ad hanc cum qua fides saluifica coniuncta est. Nam ex dilectione iam cognoscendum dederat, quam notitiam seu cognitionem intelligeret: nempe non aliam quam eam quae proxima dilectionis causa est. Deinde omnis notitiae DEI rerumque diuinorum scopus est praxis Fidei & pietatis: hoc proinde fine si careat notitia DEI rerumque diuinorum, tum cum iuxta ordinem gratiae adesse deberet actu & effectu, perinde est, ac si non adesset, quippe frustranea & fine suo destituta: unde impii notitia DEI rerumque diuinorum quasi nulla est, vtpote sine praxi, iusto suo & diuinitus destinato scopo priuata, inde Iohannes ait: *qui non diligit, non nouit DEV M.* Tertio sanctus Auctor etiam frequenter de re aliqua siue actu ad DEV M pertinente loquitur *simpliciter & absolute*, intelligit tamen eundem *restricti & limitate*, secundum id quod coniunctum est, & modum a Spiritu S. alibi determinatum, v. g. *Si confitemur peccata nostra, fidelis est D E V S & influs, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

I. Ioh. 1, 9. at non omnis confessio peccatorum consequentem habet remissionem eorundem, sed quae cum vera poenitentia & fide coniuncta est: quae  
olim  
vero

vero hac destituitur, in ordine ad consequens illud,  
remissionem peccatorum, tanquam nulla est, quia  
caret fructu a DEO ordinato: neque ex principio  
suo iusto, poenitentia fluit, loquitur igitur absolute:  
*si confiteamur peccata nostra*, & tamen intelligit  
confessionem stylo Spiritus S. designatam, id est ex  
vera contritione promanantem & cum Fide con-  
iunctam. Conferantur illa: 1. Iob. II, 22. *quis est*  
*mendax, nisi qui negat IESum esse Christum?* de men-  
dace simpliciter loquitur, & intelligit tamen men-  
dacem specifice talem, qui summa cum culpa &  
damnatione mendax est, in cuius comparatione a-  
lii mendaces, licet reuera tales, tamen tam grauiter  
mendaces non sunt, & effectu culpae & poenae fa-  
cilius liberandi, dum non negant, IESum esse Chri-  
stum, modo fides sibi id applicent. Adde 1. Iob. IIII,  
8. & IV, 2.

## IV.

Quarto notabilis est regula magni Chemnitii in  
LL. sub initium, vbi de viu & utilitate locorum a-  
git: *Theologia magis consistit in affectu quam cognitione*, unde D E V S in sua lingua sub uno vocabulo  
comprehendit & notitiam & affectus, qui notitiam se-  
quuntur. Non dicit: quod affectus naturam ipsam  
cognitionis theologicae constitutat, sed quod sequar-  
tur, & quod D E V S notitiam & affectum, uno voca-  
bulo

OTJ

¶ (9) ¶

bulo comprehendat, quia nempe omnis notitia ex  
S. S. siue rerum diuinarum & ad salutem pertinen-  
tium ad hunc finem & effectum ordinata est a Deo,  
vt pio affectu & obsequio veritas Dei accipiatur  
ad salutem, quo si prorsus destituitur, vt antea mo-  
nui, frustranea est, ex parte hominis, & quasi nul-  
la, id est sine fructu suo salutari, qualis in impio,  
qui vel resistit Spiritui S. ne opus gratiae in ipso per-  
ficere queat ad regenerationem usque; vel gratia  
regenerationis excidit, & insuper meram aliquam  
notitiam retinet. Quod tamen de illo, qui in via,  
sub Dei gratia est, vt regeneretur, nec malitiose re-  
sistit Spiritui S. dici nequit, in eo enim notitia cum  
sancto motu & affectu a Deo excitato locum habet  
non modo; sed nec sine fructuque fidei saluificae  
& pietatis penitus priuata dici potest: si iuxta ordi-  
nem gratiae, quae successiva est, iam initium fa-  
ctum sit.

V.

Subiungerem nunc alteram assertionem, nisi prius  
de pia Antiquitate aliquid monendum esset. Nam  
& Patres hunc Spiritus S. morem subinde secuti sunt,  
vt de cognitione diuinae & ad salutem pertinentis  
veritatis loquerentur *absolute*, non aliam tamen,  
quam illam viuam, vita Fidei saluificae operosam  
& maxime habitualem intelligerent. Ita sane Augu-  
stinus,

B

stinus, acutus Doctor & disputator, nec minus tam  
men pius Christianus in libro de *Agone Christiano*  
cap. XIII. scribit: *Errat, quisquis putat, veritatem*  
*se posse cognoscere, cum adhuc nequiter viuat, liber*  
*est extra controuersiam genuinus, & ab ipso Augu-*  
*stino commendatus Retr. lib. II. cap. 3. vbi ait: re-*  
*gulam Fidei & praecepta viuendi in eo contineri.*  
De hac igitur veritate **D E I** loquitur, negans, eam  
cognosci posse, ab illo, qui adhuc nequiter vi-  
uat. Ex contextu colligenda est mens Doctoris:  
Sic enim porro l.c. scribit: *Talis (impia, peruer-*  
*sa) vita non potest puram illam, sinceram &*  
*incommutabilem videre veritatem & inhaerere illi*  
*& in aeternum non moueri, cognitionem nunc vo-*  
*cat visionem veritatis, ut pateat, sermonem Ipsi*  
*esse de cognitione doctrinae salutis, solida & viua,*  
*qualis est eius qui rem oculis videt, nec dubitat,*  
*illam esse, quam putauit: cum assensu nempe cer-*  
*to & firmo, esse ista veritatem divinam, quae*  
*cognoscit: nec hoc tantum, sed amplius signifi-*  
*cat, de tali se loqui cognitione & visione, qua*  
*quis constanter inhaeret veritati, ita ut in aeter-*  
*nun non moveatur, cuius constantiae & perseue-*  
*rantiae fundamentum internum solum & vnicum*  
*est Fides saluifica & iustifica, qua quis firmiter*  
*credit, D E V M sui misereri per & propter Chri-*  
stum

stum, sibique remittere peccata vitamque aeternam largiri, quem proinde non potest non sincera charitate amplecti, quæ in obedientiam & charitatem proximi se diffundit. Loquitur itaque de cognitione cum vera fide in Christo coniuncta, in fide & charitate radicata & firmata, quam cognitionem postea intelligentiam vocat: *Fides*, inquit, (capita nempe illa credendorum & agendorum) in Ecclesia breuissime traditur, in qua commendantur aeterna, quae intelligi a carnalibus non possunt, id est: spiritualiter iudicari ad aspersum firmum immotum, viuum fiduciale, hoc enim modo intelliguntur spiritualia recte. Rursus ait: priusquam mens nostra purgetur, debemus credere, quod intelligere nondum valens. En! *Fidem* prius ponit, deinde mentis purgationem, tum intelligentiam, quod ita interpretor conuenienter ipsius Autoris contextui: primo regulæ & præcepta illa fidei & pietatis, de quibus loquitur, fide historica & generali, ut loquuntur Theologi, apprehendenda sunt: Tum mens purganda a labefalsarum hypothesium & imaginationum ac carnalium cogitationum: quando enim Deus credendum est, caro cum suis concupiscentiis contradicit, ab his purganda est mens, ut ita Fides illa ad intelligentiam id est solidam illam cumque specia-

li fide coniunctam viuamque cognitionem prouehatur, quae demum fundamentum & radicem constantiae in se habet, quod omne gratiae DEI opus est.

## VI.

Neque vero Augustinus tantum illo modo de cognitione DEI rerumque diuinorum locutus est, ut impietatem vitamque peruersam ab illa penitus & omni modo excluderit, sed omnis retro antiquitas γνῶσης siue cognitionis DEI, veritatis, & rerum diuinorum vocabulo fidem & pietatem frequenter inclusit, simpliciter interdum loquens, compositum tamen &, ut ita loquar, modificatum innuens. Clemens Alexandrinus Gnosticum suum in Stromatibus maxime *natura προέξων* descripsit, Laetantius vocat *PIAM*, veram diuinamque sapientiam, Diu, Instit, lib. i. cap. i., imo quo magis ad Apostolica tempora quis reflectat, eo clarius se prodit mos loquendi de notitia s. cognitione DEI & rerum diuinorum, ut notitia *generosa* (puta spirituali) *reali, vivida, pia, sancta, solida, practica*, cum *affectu pio*. Et si usum siue confuetudinem istam ad ultimas origines reuoces, patebit: DEVM ipsum de sua notitia & cognitione quae infinite perfecta, ut cum pio & sancto affectu coniuncta locutum esse. Sic II. ad exemplum *Tim.*

II, 19.

36 (13) 58

II, 19. ἡγετος τὰς ὄντας αὐτᾶς. Deus nouit suos,  
nouit etiam alios, sed suos cum affectu singulari  
amoris paterni. Et Matth. VII, 23. οὐδὲποτε ἔγνων υἱὸν  
nunquam noui vos, scilicet hypocritas, de quibus  
sermo est. Nouit utique, sed non cum affectu,  
quo suos. Diuino igitur sensu, & stylo loquun-  
tut, qui *Theologiam*, id est solidam & habitualem  
de DEO rebusque diuinis, *notitiam affectuum*  
vocant, eamque cum pura conscientia, fide ac  
pietate coniunctam, & talis non est in irregenito.  
Conf. *Chemnitius* supra memoratus, *Dannhaue-*  
*rus* in *Hodosoph. Musaeus* in *Introd.* passim & in  
aliis scriptis: quorum iste in *pura conscientia*, hic  
in *solis renatis* solidam, habitualem & viuam super-  
naturalem cognitionem Veritatis diuinae id est  
Theologiam locum habere docet.

## VII.

Non tamen secundo, vel Scripturam, vel Patres, vel  
etiam recentiores Theologos omnem DEI rerumq;  
diuinarum & ad salutem pertinentium *notitiam ir-*  
*regenitum* denegare putarim. Nec defectus pii affec-  
tus, & verae & salutificae fidei excludit omnem  
notitiam sive cognitionem, sed tantum talem speci-  
fice, qualis hactenus descripsi. Nam ipse Christus  
cognitionem voluntatis Domini a pio affectu  
& obedientia distinguit *Luc. XII, 47.* vbi de seruo,

qui cognoscit voluntatem, & tamen non fecit. En! non denegat cognitionem voluntatis DEI refractario seruo, sed grauiorem culpam inde contrahere ait. Habent non renati aequum verbum DEI ac renati, legunt, audiunt illud, sensumque percipiunt, ita ut propterea nihil praetexere possint increduli Iudei ad se excusandos, quando Christus ipsis de diuinis locutus est *Job. XV, 22.* Imo nonnulli in cognitione eo prouehuntur, ut parum absint a salutari applicatione, praxi fidei, & salutis adprehensione, licet actu non regenerentur; compunguntur, concipiunt scintillas luminis & sanctorum motuum, neque tamen eo ipso sunt regeniti, quippe adhuc fide ipsa saluifica destituti, conf. *Acta Apostolorum.* Sic & Paulus ait de incredulis Iudeis: γνῶντες τὸ θεόν αὐτούς cognoscis voluntatem, DEI scilicet. Nec obstat: quod coeci laepius vocantur in Scriptura Iudei, non enim Scripturae Scriptura opponenda est, sed conciliatio instituenda: coecitas est, quod IE S V M Messiam agnoscere nolebant, non quod nihil rerum diuinarum cognoverint, *Mattb. XIII, ii.* dicit Christus: *Apostolis datum esse mysteria regni coelorum nosse, non ut aliis, turbae nempe illi circumstanti, sed rationem addit: quisquis non habet, negligendo nempe auxilia gratiae per verbum, ei etiam id, quod habet, adimetur,* dum enim nihil pro-

fi-

56 (15) 56

ficit, primamque gratiam neglit, non proficiendo deficit, & si quid bonorum motuum & cogitationum adfuit, supprimit. His igitur non datum est nosse mysteria regni coelorum, notitia nempe applicata, notitia verae & saluifcae fidei.

### VIII.

Sequitur vero *Tertio*: nec veram rerum diuinarum & ad salutem pertinentium notitiam irregenito denegari posse. Nam si Scripturam legere, verbum DEI audire, sensum inde percipere, imo & assensum aliquem praebere potest, ut tamen fidem specialem, id est iustificam, & saluificam nondum concipiatur, veram certe, proprie loquendo, etiam irregenitus in diuinis habebit notitiam, quid enim veritati cognitionis deest, si sensum congruum Scripturae de rebus diuinis concipiatur, nouit? Tractat hanc rem pluribus locis B. Musaeus, cuius loca quaedam huc enotanda, quia video, subinde in diversas partes allegari Scripta Ipsius: vnde studiofa Iuuentus in illorum lectione confundi potest. Totus certe nextis Doctrinae, quantum huc spectat, in hoc consistit: *Notitiam* rerum diuinorum, speciatim credendorum, etiam in non renatis verissimam esse, sic enim scribit in Tr. de Conuersi. ed. Hal. Disp. IV. §. 31. & 32. *Notitia VERA* quae rei cognitae conformis est - - IN NON RENATOS  
CA.

CADIT - sicut notitia illa, quam conceperant Iudei ex verbis Servatoris DEVM Patrem suum dicentis Iob. V, 18. quod sc. Christus sit verus DEI filius & DEO aequalis, VERISSIMA ET CERTISSIMA erat. Heic in impiis & refractariis Iudeis notitiam summi mysterii vocat notitiam verissimam & certissimam. Est enim communis & naturalis ille sensus ac primarius, ut cognitio si notitia vera dicatur, quae conueniens est cum re ipsa, quae cognosci dicitur, licet ipsi notitiae multum desit ratione modi cognoscendi, finis & effectus a DEO intenti, quo respectu, si quis neget, illam cognitionem esse veram, reflectendo praesertim ad eminentem illum cognitionis viuae in primo membro supra explicatae significatum; neque disciplinae Musaeanae in hoc puncto nec aliorum Theologorum quoad rem aduersabitur, et si in modo loquendi differat, ubi quaestio ad *ἀνέσθεαν* loquendi & prudentiam in sermone circa sacra recurret.

## IX.

II. Hinc porro ait in *Introduct.* p. 505. *Spiritus S. vim illuminatricem sensui et S. S. percepto semper etiam in intellectu hypocritae & impii actu primo coniunctam esse.* Si verus sensus adeoque & perceptio veri sensus seu notitia vera non esset, in hypocrita & impi non coniuncta esset illi vis illu-

luminatrix dinina quae soli & vero verbo DEI v<sup>er</sup>  
nita est. III. In non renato dantur motus pii &  
sancti irresistibiles vel ineuitabiles. Sic enim Tr.  
Hal. de Conuersione Disp. V. §. 48. distinguendum  
inter primos voluntatis motus pios, qui non sunt de-  
liberati, & inter motus subsequentes, quos excitat  
Spiritus S. in homine post inspiratam cogitationem  
sanctam & pium desiderium, qui deliberati sunt quod  
primos attinet motus pios, illi dici possunt irresistibi-  
les, quatenus nostram deliberationem antevertunt,  
ita ut in nostra potestate non sit impedire ne orian-  
tur, quanquam postquam exorti sunt, resisti ius, &  
ne radices agant, impediri vel plane suffocari pos-  
sunt. Nimirum quemadmodum DEVS impios  
subinde per conscientiae stimulos naturales prouo-  
cat ad iudicium, eosque inopinato excitat etomno,  
ita per verbum suum motus inspirat sanctos in me-  
dio saepe impietatis cursu: non enim immediate  
(loquor de eo, quod fit ordinario modo) inspirat,  
vnde necesse est, notitiam veram, sensu quo dixi-  
mus antecedere: quia non per mendacia DEVS,  
essentia verax, illuminat.

IV. Iuxta eundem prima *cogitatio sancta* &  
subsequentes actus cognoscendi per verbum DEI  
excitati sunt actus illuminationis supernaturalis,  
daturque *illuminatione inchoatiue accepta*, vbi ad fi-

duciam usque salutarem nondum quis illuminatus est. Sic in *Introd.* pag. 508. *supernaturalis intellectus illuminatio ab actibus cognoscendi imperfectoribus* facit *INITIVM* & deinde ad perfectiores progreditur. Et pag. 509. *cogitatio sancta*, qua *ILLUMINATIONIS INITIVM* fit, non in omnibus una & eadem est, sed prout intellectus huius in hanc, illius in illam doctrinae partem ejusque meditationem incidit, ita *Spiritus S.* in hoc de hac, in illo de illa, & rursum in alio de alia doctrinae parte piam sanctamque cogitationem excitare solet per ipsas a verbo divino lecto &c. Sic ergo in variis scripturae Doctrinis illuminatio fieri potest, ut tamen quis nondum regenitus sit. *Regeneratio enim*, ut ait in *Tr. de Conuers. Hal. disp. V. §. II.* terminatur ad fidem specialem, qua credimus, nos in Christo mediatore & propter eum habere DEVM nobis propitium & remissionem peccatorum. Et §. anteced. II. *Posito assensu generali* ( verbo nempe DEI, sine fiducia in Christo dato ) homo nondum concipitur renatus & spiritualiter viuens. Et tamen ante hanc fidem specialem antecedunt Actus gratiae illuminatricis, & sic datur illuminatio nempe inchoata, ante Regenerationem seu antequam fides specialis & fiducia in Christum adsit.

X.Ni-

Nihilominus Disp. II. §. 29. & 30. *VERA il-*  
*luminatio mentis seu vera lux spiritualis, a qua*  
*quis ILLVMINATVS PROPRIE dicitur,*  
*consistit in cognitione gratiae ac misericordiae diui-*  
*nae & gratuitae remissionis peccatorum propter*  
*Christum cum certo & immoto assensu coniuncta*  
*& §. 60. Assensus ille, qui est sine fiducia in Chri-*  
*stum & sine charitate erga Deum & proximum,*  
*non est VERA ILLA LVX, in qua PROPRIE*  
*quis dici potest illuminatus.* Quae videntur sibi  
 prorsus aduersa esse: nam hoc loco ait: *Veram*  
*illuminationem mentis s. veram lucem, a qua quis*  
*illuminatus proprie dici potest, consistere in fide*  
*illa speciali, qua quis Christum cum suo merito*  
*adprehendit.* Altero primam cogitationem ad il-  
 luminationem proprie sic dictam, id est, superna-  
 turalem refert, quae tamen prima cogitatio cum  
 subsequentibus non statim includit fidem illam  
 specialem, quæ dicitur iustifica. Sic & de assen-  
 su generali & historico, id est, quo quis verbo DEI  
 assentitur referenti veritates de Christo, sed non  
 eas sibi appropriat, & DEVM propter Christum  
 propitium esse credit, quae fides specialis dicitur,  
 ait: *Spiritum S. illum generalem assensum saepe ope-*  
*rari supernaturaliter per verbum.* Tr. cit. de Con-

uers. disp. V. §. 10. neque tamen illo posito, renatum  
 & spiritualiter viuentem esse, l.c. Adde: quod l.c.  
 disp. IV. §. 31. ad 35. scribit: *notitiam, qua quis sine  
 haesitatione agnoscit seu credit, sensum qui e verbis  
 auditis vel lectis concipitur, esse sensum verum ver-  
 borum, esse a Spiritu S. supernaturali operatione  
 cum verbo & per verbum.* Loquitur autem de  
 tali certitudine notitiae circa sensum, *qualis in iis,*  
*qui vere sunt illuminati, & quam certus assensus est*  
*in vere illuminato.* Iam in Introd. p. 513. *Spiritus*  
*S. virtuti ILLVMINATRICI VEL V*  
*LVMINI SVBSTANTIALI ET FON-*  
*TI OMNIS LVCIS SPIRITALIS* ad-  
 scribit, *quotquot actus diuini per verbum ultra*  
*ipsius verbi vim per supernaturalem concursum in*  
*intellectu se exerunt.* Itaque iuxta *Musaeum* ex  
 gratia supernaturali illuminante est, i. notitia cer-  
 ta & sine haesitatione, hunc vel illum sensum Scrip-  
 turae esse verum sensum. II. Assensus certus &  
 firmus, hanc vel illam Scripturae doctrinam esse  
 verbum DEI, adeoque veram, qui actus sane per  
 se Regenerationem & fidem specialem antecedunt.

## XI.

Quid ergo dicendum, num Autor sibi ipsi  
 contradicit, aut mentem mutauit, dum uno loco  
 Illuminationi supernaturali tribuit, quod in aliis

vi.

52 (21) 53

videtur illi denegare? Non putarim, nam beatus Vir, vt quilibet videt, dupliciter de Illuminatio- ne & luce spirituali loquitur, 1. vt luce & notitia *a-ctuali* ab illuminatione proprie dicta, id est super- naturali accensa adeoque in ordine ad causam ef- ficientem supernaturaliter agentem. 2. Ut luce & notitia supernaturali habituali, in cuius virtute a-ctus cognoscendi ab ipso homine eliciuntur, ex v- na parte loquitur de illuminatione terminante se ad lucem & notitiam habitualem, firmam, inhae- rentem, constantem, dicitque, hac illuminatione esse illuminatos, qui vera fide Christum adpre- henderunt, nam per hanc radicatur & firmatur notitia non modo, sed & homo mortuus spiritua- liter viuus fit ad eliciendos actus notitiae D E I & rerum diuinorum. Vocat autem hanc illumina- tionem proprie sic dictam & veram, vt supra, non quod illa, quae immediate terminum hunc gratiae habitualis per fidem saluificam non habet, non sit illuminatio vera & proprie sic dicta, quod in *Introd.* contra Pelagianos demonstrauerat: sed in *sensu speciali*, prout illuminatio accipitur *pas- sione* & in ordine ad subiectum illuminatum; vbi sane non *is proprie* & *subiectiae* lux est in Domino, in quo unus & alter actus illuminationis diuinae ad notitiam aliquam supernaturalem efficax fuit, sed

in quo lux supernaturalis ita accensa est , vt ipse  
vere lux quaedam sit in Domino , id est , fidem  
saluificam habeat , cuius vi & virtute actus cognoscendi eliciat , conf. §. 65 , l. c. & anteced. item Tr.  
de Conuers. p. 295. Fundamentum huius significatus suppeditat Ioannes I.II. 9.10.11. qui dicit se in  
luce esse , & fratrem suum odit , in tenebris est ad  
huc , qui diligit fratrem suum , in lumine manet  
qui autem odit fratrem , in tenebris est &c. & Eph.  
V. 8. eratis quondam tenebrae nunc autem lux in Do-  
mino. In his locis sermo est de luce Fidei saluifica  
per charitatem operosae & illuminatione ad  
hanc lucem pertinente. Ab huius lucis & illuminatio  
nionis ad eam terminatae defectu ad omnem  
etiam exiguum tenuemque lucem & illuminatio  
nem eo tendentem negandam qui procedit , is ne  
que Musaei , neque aliorum Theologorum , &  
quod praecipuum est , Spiritus S. sententiam affe  
quitur , vt ex hac tenus dictis patet. Itaque & ve  
ra notitia rerum diuinarum , & a gratia illuminante  
supernaturali proueniens non renato tribu  
itur a Theologo nostro , licet non habitualis , vi  
ua , fiducialis.

## XII.

Dicas: At in Introd. p. 500. legitur: *enm qui  
non est supernaturaliter illuminatus , haud quicquam  
de*

55 (v)

de rebus spiritualibus RECITE scire (recht oder  
rechtschaffen wissen). E. notitia in non renatis non  
est vera, nam si nihil recte sciunt, quomodo eo-  
rum notitia erit vera? Resp. Consequentiam non  
admittit Auctor, qui iam supra verissimam notiti-  
am in non renatis concessit: nec illuminatio idem  
est ac regeneratio, ut supra vidimus: praeterea a-  
liud est recte scire, aliud veram notitiam habere:  
posterioris respicit conuenientiam ideae meae men-  
tis cum sententia scripta, prius vero debitum co-  
gnoscendi modum, & applicationem.

Progredior ad id quod B. Auctor per pec-  
catum dominans fidem saluificam & cum illa gra-  
tiam regenerationis excuti docet, ita ut nec habi-  
tus supernaturalis Theologie maneat, cum actus  
cognoscendi non amplius ex interno vitali princi-  
pio fluant fide nempe saluifica, quae excussa est,  
disp. V. de Conuers. §. 26. Fides salutaris, qua ap-  
prehenditur meritum Christi, coniuncta cum fiducia,  
tunc amittitur, cum prava concupiscentia domini-  
um nascitur. Notitia autem est assensus generalis,  
quae remanere solent, non merentur nomen Fidei  
saluifica, Conf. Introd. p. 198. neque enim excus-  
so Spiritu per peccata est Spiritus S. concursu super-  
naturali cum speciebus impressis cessante, quae hinc  
in esse suo dependet habitudo supernaturalis assenti-  
endi

*endi superesse & durare potest. Deinde disquirit, quomodo per peccata Spiritus S. excutiatur. Idem tamen de assensu generali ait disp. V. de Conuers. §. 9. & 10. Spiritum S. eum saepe operari supernaturaliter inque renascendo necessarium esse et si proprius regenerationis terminus dicinon posse. Sensus est: eum, qui non est regenitus, habere tamen posse assensum generalem, quem Spiritus S. supernaturaliter operetur, licet etiam naturali modo produci queat: illum autem assensum solum non esse saluificum, nisi specialis fides cum fiducia in meritum Christi accedat: in quo ex communi omnium consensu loquitur & scribit.*

## §. XIII.

Hoc ergo non obstante, quod Habitum Theologiae supernaturalem non renato & impio de neget, tamen non negat iregenitum s. non renatum illuminari supernaturaliter ad assensum generalem, et si internas vires supernaturaliter assentiendi veritati non admittat. Habitudinem docendi & promptitudinem cum fructu & effectu spirituali etiam impio concedit. Sic enim in Introd. pag. 197. *Homo renatus, cui Theologiae proprie & uniuoce dictae habitus inest, post patrata sclera quaeque ( adeoque excusum habitum ea parte, qua supernaturalis est, vt antecedd. pagg. ostendit)*

derat,) tam promptus & expeditus manet, NB. ad explicandam scripturam & conclusiones ex ea deducendas, quam promptus & expeditus antea in statu gratiae fuit. Et in Tractatu de Ecclesia §. 42. qui in Ecclesia constituantur ut organa operatiua, illi per DONA MINISTRANTIA idonei redduntur ad suam functionem recte obeundam: Haec dona ministrantia usu & exercitatione SPIRITVS S. GRATIA ASSISTENTE parantur. Iam subiungit porro de operatiuis his Instrumentis: ea non necessario esse vera membra Christi per fidem, corporis Christi seu Ecclesiae, per HYPOCRITAS ETIAM, QVALES SCRIBAE ET PHARISAEI, SPIRITVM S. AD AUDITORVM SALVTEM EFFICACEM ESSE, quod ibi grauiissimis argumentis demonstrat, aduersus Pontificios & Donatistas pro orthodoxa doctrina etiam in Augustana confessione hac de re expressa.

## XIV.

Summa igitur Doctrinae Theologi, in quantum huc spectat, eo reddit: Non renatos habere veram rerum diuinarum notitiam, sensumque verbi diuini percipere posse, licet non cum firmo & immoto assensu e vita fidei elicto: hunc vel illum sensum esse verum sensum, & diuinam veritatem in se continere. Sensui illi tamen verbi

D di-

„diuini semper coniunctam esse vim illuminatri  
 „, cem supernaturalem actu primo, etiam in intel-  
 „lectu hypocritae & impii illamque actu secun-  
 „do exserere se per verbum DEI sensumque eius  
 „, perceptum, primum inspirando sanctam cogita-  
 „tionem, ex parte hominis, cum qua pium desi-  
 „derium coniunctum sit, si primae huic scintillae  
 „, & initio homo non malitiose resistat DEVU  
 „, pergere gratio suo & supernaturali influxu,  
 „, hominemque magis magisque disponere pera-  
 „, etus cognoscendi supernaturales donec ita habi-  
 „, tus supernaturalis, vires spirituales credendi, seu  
 „, fiducia in Christum saluifica, (quae sunt ipsius  
 „, verba) exoriatur. Has vires, habitum superna-  
 „, turalem, siue fidem in Christum excuti per do-  
 „, minium carnis, ita ut vires spirituales & prom-  
 „, ptitudo eliciendi actum supernaturalem desinant,  
 „, hinc nec Theologiae habitum proprie & vniuo-  
 „, ce sic dictum, quippe supernaturalem, amplius  
 „, adesse, si ante adfuerit, manere tamen in impio  
 „, & hypocrita habitum doctrinae salutaris, ita,  
 „, ut cum fructu & benedictione DEI aedificare pos-  
 sit in Ecclesia. Haec principia suppeditauit in Tra-  
 statu de Conuersione & Regen. in Introd. & in Tr.  
 de Ecclesia ac peculiaribus dissertationibus. Ex  
 quibus patet: neque veram rerum diuinorum no-  
 titiam

33(27) 58

titiam denegari non renato , neque spiritualem omnem quae ex illuminatione supernaturali Spiritus S. est , sed tantum habitualem , vt loquitur , & efficacem ad producendos ex internis viribus spiritualibus actus cognoscendi spirituales & supernaturales : qui de caetero in explicando argumen-  
to de illuminatione & regeneratione adeo moderate procedit , vt licet in modo explicandi  
praesertim quoad vires passiuas ab aliis dissentiat , tamen simul fateatur , doctrinam hanc obscuram & explicatu difficultem esse , in Introd . pag . 532 .  
& rursus pag . 508 .

XV.

Sed ad scopum nunc reuertar , & quod de no-  
tia vera in non renatis assero , e scriptura paucis  
illustrabo . Etsi enim illa , vt supra ostendi , vna vo-  
ce notitiam & pium affectum comprehendat , &  
subinde de ea loquatur absolute , non tamen affe-  
ctum pium fidei ad cognitionis qua talis naturam  
refert , neque veritatem denegat notitiae in irre-  
genito & impio , quin potius notitiam veram a  
pio affectu & obsequio manifesto distinguit ut ex  
Luc . XII , 47 . Ioh . XV , 22 . supra ostensum est . Sane  
Christus notitiam , quam increduli Iudaei ex ipsius  
concionibus & colloquiis hausere , licet absque fi-  
de & pio affectu , non tamen falsam vocavit , aut ta-

D 2

lein

lem supposuit, sed fidem & obedientiam deesse queritur. Sic *Iob.* X, 22. cognouerant: Christum per sermones suos se profiteri DEVM: non arguit Saluator, falsam eos habere notitiam, sed ex supposito, quod habeant veram notitiam, concludit: credere eos debere, vel: ita cognoscere ut fidem habent dictis & operibus, nec dubitent amplius, se Messiam esse. *vers. 38.* *Alibi Paulus* veritatem in iustitia detineri ait. *Rom. I, 18.* non inquit, falsam esse notitiam, quae non iustitia in praxin deducitur, sed vocat veritatis detentionem in iniustitia. Sane consequentia absurdia metuenda sunt, ut ostendisti, si notitia vera vel non vera simpliciter aestimanda sit in ordine ad quemuis defectum notitiae, quoad modum, rationem, & effectum & non quoad convenientiam potius cum obiecto cognoscendo. Attamen haud inusitatum est, ut scriptores, etiam homiletici & practici ita loquantur: non esse veram notitiam, quae non ex principio cognoscendi, diuina Reuelatione, qua tali, hausta, & cum praxi fidei & pietatis coniuncta est: qui vero dum non agunt de veritate conuenientiae, cum obiecto materiali, id est doctrina in S. S. proposita, sed de ratione *sub qua* cognoscere deberent & obiecto formalis, ut tali, id est de verbo DEI, prout concursus Spiritus S. supernaturalis cum illo & per illud operatur, & in-

fini-

¶(29)¶

sinuat loquentem DEVVM, vt ita doctrina accipiat  
cur tanquam verbum DEI, sub illo operandi mo-  
do, non alio: item de fine & effectu, modo loquen-  
di, vti supra indicatum est; patet, prioribus hacte-  
nus non aduersari, & in sua sententia tolerari posse,  
nisi quod de modo loquendi disputari possit, qui in  
se, iuxta intentionem loquentis acceptus, nihil peri-  
culi habet, cum constet, eos, qui ita loquuntur,  
fundamentum veritatis retinere, leque perspicue ex-  
placent alibi.

XVI.

E veteribus Hieronymus ad Titum cap. I. quaesi-  
tionem in terminis proponit: *vtrum sit aliqua veri-  
tas, quae non in pietate est?* neque loquitur de veri-  
tate in se tantum, sed sub ratione cognitionis, siue  
prout cognoscitur: vti patet ex Responsione: *Est  
plane veritas, quae non habet pietatem, si quis gram-  
maticam nouerit &c. habet in sua scientia veritatem* (id est veram cognitionem) *sed non est scientia illa  
pietatis, scientia pietatis est nosse legem, credere E-  
uangelio absque pietate, notitia veritatis delectat ad  
praesens, sed aeternitatem non habet praemium.* A-  
dit: esse veritatem eiusque notitiam, siue scientiam  
veritatis quae non habet pietatem. Addit: qui no-  
rit legem & credit Euangelio, eum habere scienti-  
am pietatis, id est eorum quae circa pietatem ver-

santur, quaeque scientia cum pietate coniuncta sit  
 ex fide in Christum procedente. Veritatem eiusque  
 cognitionem, id est cognitionem veram sine pieta-  
 te delectare ad praesentem vitam, sed carere piae-  
 mō vitae aeternae. Possent eiusmodi sententiae  
 complures conferri, sed in quem finem? cum in li-  
 quido positum sit, & nemo negare facile queat, visi-  
 tatum esse Scripturae Sacrae, & Antiquitati ecclesi-  
 asticae, & Theologis passim pro ratione instituti:  
 ut de vera notitia in sacris loquantur primo in ordi-  
 ne ad doctrinas seu veritates, ceu *objec̄tum* materi-  
 ale Theologiae, veramque vocent notitiam, prout  
 sententia nostra doctrinam aliquam Scripturae S.  
 repreäsentat, & illi conformis est. *Deinde* in ordine  
 ad principium cognoscendi, siue *objec̄tum formale*,  
 quando cognoscendi actus e iusto suo principio  
 hauriuntur, verbo nempe DEI siue Reuelatione in  
 Scriptura; vti doctrinae ad salutem ordinatae non  
 ex ratione, siue historica relatione parentum &  
 praceptorum tanquam principio, sed ex verbo  
 DEI cognoscendae sunt, nisi quod illa adminicula  
 & instrumenta esse possunt, a quibus si non ad au-  
 toritatem reuelantis DEI ascendatur, non est cer-  
 to modo vera notitia, quippe in principio vero de-  
 ficit, & in tantum aliquid peregrini & falsi admixtum  
 est notitiae.

XVII. Vn-

Vnde tertio cognitio vera considerari potest in ordine ad Rationem sub qua principium cognoscendi Theologiae siue obiectum formale apprehenditur cum suis veritatibus, quae in eo continentur. Manifestum enim est, agnosci posse quodammodo Scripturam S. ceu verbum DEI & adeo doctrinas ceu diuinis sub respectu conuenientiae cum ratione, deinde vero sub ratione auctoritatis diuinae s. dicentis & testanantis DEI per verbum. Prior cognitio est confusa & naturalis ratione modi cognoscendi, ut quilibet videt, constituitque sub hoc respectu fidem humanam, altera vero est distincta & formaliter & in substantia sua supernaturalis, ac constituit fidem diuinam propriissime talem, id est non tantum ratione principii cognoscendi theologici, verbi diuni, sed & ratione eiusdem, qua talis siue quantum DEVS per illud se dicentem insinuat & ita supernaturaliter illuminat. Vbi vero simul aequiuocatio eruenda. Nam quando sermo est de verbo DEI quatali, dupliciter id intelligi potest, primo, vt restrictio tendat ad verbum DEI, prout verbum est, sententiam diuinam de rebus diuinis & sacris exprimens: deinde prout potentia DEI adeoque cursus DEI, supernaturalis ei coniunctus est, de restrictione ultimo modo, non priore tantum loquor.

Quarto cognitio vera considerari potest in ordine ad Fidem & pietatem, ut vera dicatur, quae non modo sententiam DEI de rebus diuinis & sacris tenet, & ex verbo DEI, sub ratione apprehendendi supernaturali, sed praeterea fidem saluificam habet coniunctam indeque fluentem pietatem, ut supra cognitionem accipi ostensum fuit. Iam oppido clarum est, hanc poltremam in irregenitis non esse, esse tamen veram in ipsis veritate primo modo accepta, itemque altero, sed nec tertius ipsis omnino denegari potest modus, quo res diuinae & sacrae cognoscuntur sub ratione supernaturaliter testantis & loquentis DEI per verbum vel sub mera ratione auctoritatis diuinae: nam cum Spiritus S. ad introducendam fidem illam specialem, quae in apprehensione meriti Christi consistit, & regenitum facit, regulariter successive & gradatim procedat communi consensu Theologorum; per rei naturam aliter fieri nequit, quam ut prius *fidem diuinam generalem* sive assensum verbo diuino, qua tali operetur, adeoque in nondum renato notitia vera detur in ordine ad *objecum formale* sub ratione supernaturali dicentis s. loquentis DEI, sub qua cognoscit veritatem, et si illa non procedat ex vita fidei saluificae quae nondum ad-  
est.

¶ (3) 5

est. Si quis dicat: hoc quidem verum esse de non-dum renato, sed eo qui non resistit, impium vero resistere Spiritui S. in quo proinde supernaturalis illa cognitio oriri nequeat; facile respondetur: *impius enim dicitur dupliciter, primo in oppositione ad pietatem seu fructum fidei saluificae; deinde generalius pro quo quis qui antecedentibus gradibus gratiae diuinae malitiose resistit: concedo, hunc non posse isto modo veram cognitionem habere, sed tantum retinere notitiam fidei humanae, nego autem, eum qui gratiae renouanti ad pietatem ceu fructum fidei, repugnat, non posse notitiam veram isthoc sensu habere: nam dum gratiae huic renouanti resistit, non tamen propterea omni gradu, siue speciei gratiae antecedentis obliuctatur, in quo proinde effectus illius gratiae quae ad notitiam rerum diuinarum supernaturalium tendit, generari potest: ut pridem in disert. de Recessu DEI ab impiis, docemur.*

### XIX.

Neque sequitur: Impius excusit Spiritum S. cum gratia sua inhabitante, adeo que vita fidei se priuavit viribusque vitalibus spiritualibus: ergo, quicquid in ipso motus vel actus est circa res diuinias, est ex mera natura & homine sibi prorsus relicto, quod neque Musaeus neque ullus alius orthodoxus

E

The-

Theologus vñquam cogitauit. Supereft enim nihilominus gratia p̄fentissima Spiritus S. per doctrinam salutarem pulsans, excitans, vocans, reuocans, conuertens quae ipsum subinde aliquousque, subinde vero in pristinum statum plane reducit, vbi quanquam nihil homo possit per gratiam istam inhabitantem, vt pote quam excusſit, tamen per gratiam illam operosam, actiuam, de qua modo dixi, notitiam supernaturalem, fidem diuinam generalem concipere potest, luctari aduersus carnem, conteri corde, qui tamen adhuc stylo Scripturae nondum *p̄ius* est & dicitur, quia nondum reconciliatus est vera fide cum D E O , per quam *DEVS iustificat impium*. Rom. III, 5. Non potest itaque irregenito & impio ac nondum credenti s. fidem habenti vera & supernaturalis, spiritualis ex illuminatione speciali, seu adcurate sic dicta proueniens notitia denegari.

## §. XX.

Datur proinde in irregenito & impio *spiritualis*, *supernaturalis* & ex illuminatione *supernaturali* proueniens notitia rerum sacrarum, uti nunc porro ostendetur. Voco *spiritualem* a Spiritu S. quippe per verbum DEI communicatam : *supernaturalem*, quae naturam supergreditur, neque ex creatione duci potest, sed ex gratia DEI per Christum par-

ta

ta deriuari debet : quod vero per Reuelationem supernaturalem siue verbum DEI impertitur hominibus ex gratia DEI per meritum Christi parta , quomodo non spirituale , non supernaturale erit ? num natura principium & origo est notitiae rerum sacrarum & ad salutem pertinientium , non gratia non Spiritus S. ? Evidem Pelagiani olim naturam cum gratia confundebant , gratiamque vocabant , qua creati sumus , ut non nihil essemus , nec ita essemus aliquid , ut cadauer , quod non vivit , & arbor quae non sentit , aut pecus quod non intelligit , sed homines , qui & essemus & viueremus & sentiremus & intelligeremus , de hoc tanto beneficio , inquit Augustinus , gratias agere debemus DEO , unde merito & ista gratia dici potest , quia non praetendentium aliquorum operum meritis , sed gratuita DEI bonitate donata : sed alia tamen est gratia , (ita pergit) qua praedestinamur , vocamur , iustificamur , glorificamur , ut dicere possumus si DEVIS pro Nobis , quis contra Nos ? De hac gratia quaestio vertebatur , quando ab his quos Pelagius graviter offendebat , atque turbabat , dicebatur ei , quod suis disputationibus eam oppugnaret , quibus assertaret , non solum ad facienda verum etiam ad perficienda mandata DEI per liberum arbitrium sibi humanam naturam sufficere . Vid . Augustinus in

*Epistola 95.* Innocentio Papae perscripta. Hoc igitur sensu a veteribus Pelagio opposito cum Theologis nostris assero: notitiam rerum sacrarum & ad salutem spectantium non pertinere ad naturam, neque ad *gratiam creatricem*, sed ad articulum secundum & tertium Symboli Apostolici de Christo & Spiritu S. gratiamque supernaturalem, & spiritualem, in oppositione ad illam, quae ex natura & creatione est, & ad vitium notitiae ex corruptione adhaerens.

## XXI.

Possem in hoc significatu subsistere, si ad controuersiam tantum haec tenus agitatam respicerem: nam certissimum est: Theologos huc respexisse, qui aliis contradixere, asserentibus irregenitorum cognitionem rerum diuinarum & sacrarum esse naturalem, carnalem, & quod addiderunt, falsam, diabolicam, &c. Arripiuere enim talia qui ab hostibus publici ministerii & fanaticis veluti fascinati, & quasi paroxismo correpti ad *separatismum* declinauere, ex ea etiam ratione, si inquirentibus respondendum fuerit, quod coeci sint Doctores in Lutherana Ecclesia, quippe impii, falsa docentes, diabolicam notitiam habentes, se bona conscientia non amplius eos audire posse, hinc varia instituere conuenticula, ex solo imaginariae suae

pie-

pietatis capite aedificationem captaturi. Sic publice inter prandium e suggestu alumnus VVürtenbergicus in alumneo Tubingensi Academico, me Superintendente seniore ibidem praesente, & Ephoro Dn. D. Klemmio aduentante, exclamabat: müsset ihr nicht alle / optimi mei commilitones, bekennen / daß ihr bisher von euren Lehrern als blinden Leitern seyd geführet worden? qui postea mandato Serenissimi rigorosiori a Nobis subiectus examini, cum statutis ad pietatem & Christianum ordinem pertinentibus obsequium praestare nollet, custodiae publicae ad carnis peruersae coercitionem euitandasque turbas traditus est, emendatus deinceps, ut percepit, & ad meliora reuocatus, quod si ita est, OEO sit laus & gloria! ne dicam de aliis exemplis tum ibi, tum alibi ingruentibus, quae in vulgus nota sunt, quid quae-  
so pii Theologi sub his turbis & incendio quasi publico aduerteris vel errantes, & hypotheses, quas percepere, male applicantes, vel turbatores pro suo officio rectius agere poterant, quam ut prae-  
cipue euellerent perditissimum errorem, quem illi innocuae veritati immiscebant, quasi cognitio veritatis & vera doctrina in irregenito & impio esset naturae & quidem corruptae opus, carnis & diaboli fructus adeoque perniciosa? hinc ex ad-

E 3

uerso

uero Tecum Vir summe Reuerende docuere sollicito, cognitionem sensus S. Sacrae & doctrinarum salutarium nequaquam in irregenito & impio esse opus carnis, s. naturae corruptae, fallam & diabolicam eo nomine, nec etiam ad naturam, ut a creatione dependet, spectare, sed esse effectum gratiae diuinae per Christum partae a Spiritu S. per verbum applicatae & ex intentione diuina salutaris. Distinguendum esse vitium a re ipsa. Quae notitia non habet originem ex carnali peccaminoso affectu, neque ex creatione, sed ex gratia DEI per Christi meritum parta, & a Spiritu S. Verbi diuini sensui inseparabiliter coniuncto orta in finem salutis, ea non est naturalis, neque quoad naturam integrum a corruptione, neque quoad corruptam: multo minus falsa, diabolica, perniciosa, sed supernaturalis, spiritualis & salutaris. Nam quod etiam illud Iacobi cap. III, 13. seqq. in subsidium causae arreptum est, vbi scientia rerum diuinarum cum aemulatione amara & contentione coniuncta dicatur *terrena animalis*, δαιμονιός, vnde in impio vera & diuina spiritualis esse nequeat, id tantum in speciem & ex errore est, quis enim non videt, Apostolum loqui de vitio scientiae coniuncto, non de scientia rerum diuinarum ipsa, prorsus quemadmodum non sequitur: Paulus

lus de scientia ait, quod inflet, ergo per se & naturam suam, in impio quippe donum DEI etiam in impio, vnde porro respondemus verbis Irenaei Lib. II, c. 45. *Paulus clamabat scientiam inflare, non quod veram scientiam de DEO culparet, alioqui seipsum primum accusaret, sed quia sciebat quosdam SVB OCCASIONE scientiae elatos excidere a dilectione DEI &c.* ita sane Iacobus scientiam & sapientiam terrenam animalem &c. vocat: non quod per se talis esset in impio, sed quod occasione scientiae rerum diuinarum deflecterent ab intentione Spiritus S. & a carne seducti loco piae praxeos inducerent lites & contentiones, facerentque adeo ex accidenti scientiaru litigiosam carnalem &c.

## XXII.

Pergam tamen ad specialiorem sensum & strictiorem notitiae *spiritualis & supernaturalis* acceptionem. Nosti enim, Theologos tam veteres quam recentiores praesertim in disputationibus aduersus Pelagianos *spirituale & supernaturalē* accepisse etiam in ordine *AD MODVM OPERANDI* Spiritus S. supernaturalem, ut spirituale id sit, & *supernaturale*, quod non tantum a gratia diuina supposito merito Christi & applicatione Spiritus S. per verbum est; sed quod a Spiritu S.

su-

supernaturaliter per verbum operante producitur: nam id in liquido, puto positum esse: Spiritum S. proponentem per verba pronunciata vel scripta sensum, agere in tantum *modo naturali*, quo & in naturalibus sensus percipiendus datur, & in tantum est *notitia naturalis*, quae & *carnalis* subinde dicitur, prout viribus naturae post lapsum residuis, id quod a DEO reuelatur, percipi diuinaque adeo & sacra quodammodo cognosci possunt, stylo scripturae, quo *caro & sanguis* accipitur pro residuis post lapsum viribus. Matth. XVI, 17. Hoc sensu locuti sunt beati Theologi, *Musaeus*, & cum ipso *Bechmannus & Baierus*, quando hinc inde contra *Pelagianos* notitiam habitualem vel habitum Theologiae in irregenitis & impiis vocarunt naturalem, quem loquendi modum postea praeter alios B. *Spenerus* in primis fecutus est, fuere tamen qui a recto tramite deflexere, & cum Summi Theologi dicerent, in irregenito & impio non esse habitualem, supernaturalem, viuam & fiducialem notitiam rerum sacrarum, per quam adeo tanquam per internas vires vitales spirituales elicere actum cognoscendi quis posset, illi omnem notitiam supernaturalem in eo non tantum in hoc speciali sensu & maxime proprio, sed & antecedenti negarunt, qui nempe notitiam

re-

rerum sacrarum in impio vocarunt falsam, diabolica-  
licam, perniciosa- & resistentem Spiritui S. imo  
& generalissimum adeo illum significatum gra-  
tiae per consequens sustulisse patet, quotquot  
non sollicite vitium notitiae adhaerens ab ipsa no-  
titia distinguunt. (2) agit & operatur etiam Spir-  
itus S. modo *supernaturali* per verbum DEI pro-  
ut cum eo concursus DEI *supernaturalis* coniun-  
ctus est, per quem effectum producit, atque sic  
etiam in iregenito & impio qui adhuc sub ira  
DEI & damnatione constrictus tenetur (Rom. IV,  
5.) utique non sunt vires spirituales siue fidei sal-  
uificae & gratiae inhabitantis uti verbum DEI ex  
illis cognoscere eique assentiri & operari queat:  
supereft tamen gratia *pulsans*, *excitans*, *docens*, *il-*  
*luminans*, *operans*, quam aliquando lapsi e fide &  
gratia diuina recipiunt quodammodo, neque ta-  
men reuertuntur, sed in statu iregeniti & impii  
sub damnatione manent, potest etiam remanere  
habitualis notitia e verbo DEI hausta, licet non  
fiducialis, vita fidei.

## XXIII.

Est proinde aliqua notitia iregenitorum et-  
iam ex *illuminatione*, nec tantum mere *objectiona*  
illa, quae verbo lecto vel auditu sensum prodit,  
& ita lumen aliquod spargit in mentem iuxta il-

lud Ephes. V, 13. πνα τὸ φανερόμενον φῶς ἐστι, conf. *Musaei* Introd. sed & effectua, *supernaturalis*, quae ex speciali DEI concursu, eiusque virtute supernaturali illuminatrice est, ut supra professus sum, nam cum cogitationes istae sanctae & coniuncta desideria, quae excitantur priusquam quis regenitus sit & fide reconciliatus cum DEO, ex illuminatione sint, & per sensum verbi diuini a concursu DEI supernaturali producantur, quis omnem illuminationem illis denegauerit? Nimirum verum manet illud Petri quod luceat lucerna verbi diuini in loco caliginoso, vbi nondum dies illuminit, & lucifer exortus est in cordibus, sed magis magisque lux accedit, donec exoriatur ille in cordibus: Epist. II, cap. i. v. 19. id est: datur illuminatio inchoata, continuata, & perfecta: haec tum in ordine ad praesentem suo modo, tum in ordine ad alteram vitam, vbi prorsus consummata est per aspectum a facie ad faciem. Caeterum *specialis* ille significatus illuminationis, quo quis a eti lumine Fidei specialis collustratur, vtique pluribus locis Scripturae fundatur: quae vero illuminatio quod non competit irregenito, supra dictum: neque tamen hac sublata omnis propterea in eo tollitur: et si non opus sit, ut illuminatio irregeniti tot literis & syllabis siue verbis in Scriptu-

ra S. demonstretur, sed sufficiat, si per solidam  
 consequentiam eruatur, quod fit, quando ex eo  
 fundamento deducitur quod DEVS superna-  
 turali concursu & operatione excitet cogitationes  
 e sensu verbi diuini quodammodo percepto: quae  
 si lumen supernaturale non sunt, ad naturale  
 perniciosissimo errore referri necessum erit, & sic  
 gratia illuminationis prorsus tolletur: sunt utique  
 supernaturale lumen ab illuminante gratia accen-  
 sum, iuxta cum aliis supernaturalibus actibus men-  
 tis, qui sequuntur usque ad donationem fidei spe-  
 cialis. Si dicatur: esse illas cogitationes sanctas,  
 pia desideria & luctam aduersus carnem ante fi-  
 dem specialem & appropriationem meriti Chri-  
 sti in iregenitis & impiis non qua talibus, sed ut  
 iam sunt sub gratia DEI, *initia fidei* operantis;  
 Respondetur: esse tamen reuera, proprie ac stylo  
 Scripturae S. adhuc non renatos siue iregenitos,  
 imo impios, quippe vera fide speciali saluifica in  
 Christum nondum cum DEO reconciliatos, a-  
 deoque adhuc sub peccato suo constrictos poe-  
 naeque aeternae reos, vitaque fidei saluifcae spe-  
 ciales carentes. *Regeneratio enim terminatur ad fi-*  
*dem specialem, qua credimus in Christum, seu, qua*  
*credimus nos in Christo Mediatore, & propter eum*  
*babere DEV M nobis propitium & remissionem pec-*

catorum. I. Ioh. V, i. Conf. Musaeum Tr. Hal.  
de Conuersione Disp. V, §. ii.

## XXIV.

Ex his sequitur denique, illam sententiam, quae impiis veram rerum diuinarum notitiam emanque ex illuminatione vere & proprie dicta eo sensu, vti supra explicauimus, & quem Theologi intendunt, tribuit, non esse periculosam, haereticam, Pelagianam, Socinianam, sed veram, in Scriptura fundatam & analogiae fidei maxime congruam. De momento quaestionis nihil porro addo, vt nec de eo, num dissentientium sententiae, quod rem ipsam attinet, conciliari possint: si praesertim status quaestionis stringatur, & exacte determinetur: quod itidem huc non spectat, vbi vnice propositum fuit, sententiam prescribere, de Notitia DEI & rerum sacrarum in irregenito, sepositis quaestionibus, quae quidem cohaerent suo modo cum praesente argumento, sed ne lis ex lite trahatur, merito distinguuntur. Fundamenta tamen seqq. in hac materia & radices necessario retineri non dubito.

## XXV.

DEVM ex mera misericordia intuitu meriti IESu Christi suam reuelasse voluntatem lapsi humano generi de sui glorificatione, & restituenda

f.re-

s. recuperanda salute aeterna, qua exciderunt.  
 Hanc suam voluntatem consignasse per viros a se  
 electos suggerendo ipsis immediate & res & verba,  
 quae pro sapientia sua fini huic apta iudicauit; ita  
 ut vel lectione vel auditu mens & sapientia diui-  
 na in S. Sacris proposita, quounque modo ho-  
 mini insinuetur, siue lectione Scripturae, vel in  
 fontibus linguae qua primum confignata est, vel in  
 versionibus, vel in monumentis e S. Sacra hau-  
 stis: siue auditu per ministerium in Ecclesia insti-  
 tutum, siue casu quondam, aut occasione, fun-  
 dare, efficere & producere potest in illo, qui legit  
 vel audit, conceptum, perceptionem, notitiam &  
 cognitionem aliquam sibi congruam. Eadem  
 sententia cognita, menti & sententiae diuinae con-  
 grua originem habet a DEO, qui reuelauit men-  
 tem suam secundum misericordiam in Christo:  
 proinde non a natura, multo minus a diabolo,  
 vnde consilium de glorificatione DEI & salute ho-  
 minum non promanare potest. Ex Intentione diu-  
 ina homini notitia illa salutaris est, cumque sit  
 notitia consilium diuinum de salute hominum  
 continens, cum quo Spiritus S. inseparabiliter con-  
 iunctus est, illo respectu viua est, licet non vita  
 interna Fidei salutificae. Quod si mens & senten-  
 tia illa diuina percipiatur sub ratione Authorita-

¶ (46) §


tis dicentis & testantis DEI, vltimato; notitia intrinsece & in substantia sua supernaturalis est. Haec vbi eo vsque progreditur, vt fides specialis salufifica accendatur; ex notitia irregeniti, fit regeniti, viua intrinsece vita Fidei saluficæ. Si haec extinguitur per dominium peccati, manet tamen & manere potest notitia consilii diuini de salute nostra, habitualis, & e verbo DEI hausta diuina, supernaturalis in ordine ad principium supernaturale, verbum DEI, viua eodem respectu, salutaris ex intentione DEI, & lux donata, qua vitetur ad illuminationem & conuersionem hominum II.  
*Cor. IV, 6.* Faxit Dominus, vt omnes vnum sentiamus & loquamur. Tibi vero VIR SVMME REVERENDE, de Ecclesia Christi meritisime porro gratia sua adsit, senectutem confirmet Teque in Nominis Sui gloriam Ecclesiaeque salutem porro superesse finat.

IENAE d. 2. Decembris


A. 1709.

*Summe Reuerendi Nominis Tui Cultor*

MICHAEL FÖRTSCH,  
Theol. D. & P. Primarius.







TIO EPISTOLICA  
DE  
**A RERVM  
VMET SACRA-  
RREGENITO**

*AD*  
I R V M  
REVERENDVM,  
**M FECHTIVM**  
OLOGVM SENIOREM DE-  
SIA CHRISTI LONGE  
ITISSIMVM,  
EDITA

A  
**E FÖRTSCHIO**  
G. D. ET PROF. P.  
N E N S I.  
10 SECUNDA.



E N AE,  
S GOLLNERIANIS,  
MDCCXL.